

Rome, 6 octobre 1600.

/ Illustrissime Domine. Quod feci, ut omni diligentia, ac sol-
 licitudine promoverem negocium Illustrissimae Dominationis ves-
 trae apud Pontificem Maximum, et eos, quibus eiusmodi negocia expe-
 dienda commissa sunt, ideo feci, quoniam et postulatio aequissima
 5 mihi videbatur, et persona dignissima, quae postulabat. Nam et ipse
 Summus Pontifex, et nos omnes, qui eidem Summo Pontifici continuo
 assistimus, eos potissimum christianos Principes omni honore, et ~~ef-~~
 officio prosequendos arbitramur, à quibus salus multorum populorum
 dependet. In quorum Principum numerum Illustrissimam D. V. merito
 10 ponimus, cum sciamus ditionem vestram in medio nationis pravae,
 hostium videlicet Ecclesiae, constitutam; nec illud ignoremus, ple-
 rosque populos eam fidem ac religionem amplecti solere, quam Prin-
 cipi suo cordi esse vident. Quod autem in hoc uno negotio fecimus,
 promptissimi sumus in aliis omnibus facere, quae ad Illustrissimam
 15 D. V. pertinere intelligemus.

Adventus Illustrissimae D. V. ad Urbem Sanctissimo Patri nostro,
 nobisque omnibus gratissimus accidisset; sed quoniam aliter visum
 est Deo, cuius sancta voluntas rebus omnibus anteponenda est, alio
 tempore consolationem hanc mutuam expectabimus. Interim curet Il-
 20 lustrissima D. V. salutem suam diligenter, et Catholicorum omnium,
 qui istic sunt, ac praecipue Sacerdotum Dei patrociniū tale sus-
 cipiat, qualem Principem vere catholicum, ac pium decet; ut cum ve-
 nerit Princeps Regum terrae, Dominus noster Iesus Christus, ad ae-
 terni Regni sui consortium Illustrissimam personam Vestram cum
 25 caeteris Catholicis, sanctisque principibus admittat. Datum Romae
 in palatio Apostolico die 6 Octobris 1600.

Ill^{mae} D. V. Addictissimus

Robertus Card. Bellarminus.

Comiti Frisiae Orientalis.

30 F. B. 5, f.133. Minute autogr. - Fuligatti, Epist. famil. VI.